



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XI. De plus petitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](#)

poni ut quæstionem præjudicialem vel ut causam principalem? Resp. multum referre: priori enim casu causa principalis suspenditur, & sola quæstio per reum proposita elucidatur, posteriori casu autem distinguendum erit, vel enim causa principalis objicitur à reo per modum exceptionis, & tunc semper prius cognoscenda est, cap. 3 b. t. idq; ex ratione naturali, cum prius audiri debeat reus, quam pro actore pronuntietur; vel objicitur per modum reconventionis, & tunc ut supra dictum utraq; causa simul tractanda erit.

TITULUS XI.

De

plus petitionibus.

QUÆRES I. Quot modis plus peti possit?
Resp. quatuor modis plus peti posse, scilicet *re*, *tempore*, *loco*, & *causa*, cap. vii.
b. t. & §. plus autem Institut. de action, Re, sive quantitate actor plus petit, si in libello 10. v. g. florenos petat, cum non nisi quinque aut minor summæ eidem debetur; *tempore*, cum id quod certo die, vel sub certâ conditione promissum est, ante tempus, vel nondum impletâ conditione exigit. *loco*, dum id quod certo loco v.g. moguntiæ debetur, Augustæ sibi dari petit, sine mentione loci, in quem solutio collata erat. Causâ denique plus petit actor quando electionem adversario competentem sibi arrogat, quod tunc fit, quando aliquid in genere vel alternativè debetur, v.g. equus vel duodecim aurei, & actor hunc numero equum, vel duo-

decim aureos absolutè præceptâ adversario suo elatione, vel alternativâ petit.

QUÆRES 2. Quæ sit plus potentium pœna? Resp. eorum pœna olim erat, ut qui uno ex his modis 4. plus petiisset, causâ caderet §. si quis agens *Instit. de action. jure* autem novo rigor ille excepto casu, qui habetur *I. odiosas Cod. b. t.* t. imperatus est, à Zenone, & Justiniano quorum constitutione jure etiam **Canonicoreceptâ**, plus tempore petens impensas litis reo solvere, aut duplicationem temporis ad solvendum præfixi, pati debet *I. I. § 2. Cod. b. t.* plus loco petens condemnatur ad interesse sine ad resarcitionem damni, quod debitor incurrit, ex eo, quod alio loco debitum exactum fuerit; plus re petens, si id malitiosè faciat, causâ cadit, *I. VII. Cod. de plus. petition.*

OBLICIES 1. Fiscus plus tempore petens in judicio totum debitum amittit. *I. iustias Cod. de jure fisci*, ergo & alii privati actores si plus tempore petierint, similiter causâ cadent; consequenter falsa est superior conclusio. Resp. lex allegata non loquitur de fisco ante tempus agente, sed de fisco qui post completam actionis præscriptionem eandem actionem in judicio intendebat. sicut enim actiones privatis personis competentes, legitimo tempore præscribuntur *I. cum notissimi. Cod. de prescript. 30.* ita & actiones fiscale *I. 13 ff. de divers. § tempor. prescript. I. I. § prescript. off. de jure fisci.*

OBLICIES 2. legatarius integrum legatum petens, cum propter legem falcidiam integrum non debeatur, plus repetit, & tamen causâ non cadit. *I. 78 ff. de legat.* ergo adhuc falsa est superior conclusio. Respond. juris antiqui dispositio co-

loc
bit

55
dicti
ch
po
cal
int
rea
tic
rei
co
no
tel
rel
po
pe
he
po
qu
qu
dic

locum habebat, quo petebatur res omnino indebita, secus si ex parte deberetur, ut in casu *l. cit.*

TITULUS XII.

De

Causâ possessionis & proprietatis.

QUÆRES 1. Quid sit possessio? Resp. possessio à pedum positione dicta, est apprehensio vel potius detentio rei corporalis corporis animi ac juris adminiculo, animo eam sibi habendi dicitur 1. detentio, quia possessio apprehensione inchortur, detentio continuatur; quæ detentio potest esse vera vel ficta, cum possessio pluribus casibus acquiri possit nullâ reali apprehensione interveniente, per actum qui ex dispositione juris, reali apprehensioni æquiparetur, v.g. per traditionem clavium in conspectu horrei &c. dicitur 2. rei corporalis, mobilis sive immobilis, quia res incorporels sive jura v.g. jus patronatus propriè non possideri, sed quasi possideri dicuntur, licet teste *Covarru.* hodie passim, nomen possessionis rebus etiam incorporealibus tribuatur dicitur 3. corporis & animi adminiculo, quia ad acquirendam possessionem non sufficit rem solo corpore apprehendere, alias quidquid pedibus conculcaretur, possideri diceretur; neque etiam solo animo, quia alias partes mundi nondum captas possideret, qui eas suas esse vellet. *l. & ff de acquirenda possess.* dicitur 4. adminiculum juris non quod ad possessionem requi-

P 3.